

infra annum ante diem ejus obitus concessas Gratia et justitia litteras temporibus debitis earum executoribus seu iudicibus non presentatas omnino revalidat, et in statum pri-

GUBERNATOR.

SUMMARIUM.

1 ad 16. Plura afferuntur Decreta ex Sacra Rituum

(1. Gubernator non comprehenditur sub nomine Magistratus Civitatis; Sac. Congr. Rit. in Alexandrina 15 Mart. 1608, in 4, dubio teste Sellio in select. Canon. cap. 27, num. 18. Barbosa in *Summa Apostolicar.* decision. verb. *Gubernator*, num. 1.

(2. Gubernatori provinciae non debet textus Evangelii osculandus porrigi; Sac. Congr. Rit. in Cusentina 17 Junii 1614, et in Tropien. 3 Junii 1617, ubi quod nec etiam debet in processionibus simul cum Episcopo incedere, quas refert Sellius d. cap. 27, n. 30.

(3. Gubernator civitatis Lauretanae praecedit juxta consuetudinem Vicario Generali; Sac. Congr. Rit. in Lauretana 9 Maii 1609, quam citat Sellius d. cap. 27, num. 31.

(4. Gubernator, et magistratus recusantes contra solitum accedere ad Ecclesiam Cathedrali, debitis remediis cogendi sunt, ut accedant; Sac. Congr. Rit. in Fanen. 1 Sept. 1607, penes Antonin. Dianam *Moral. resol.* p. 5, in fine, in *Collect. declaration.* n. 49. Lezanam in sum. q. *Regular.* tom. III, verb. *Ecclesia*, num. 18.

(5. Gubernator civitatis non debet habere sedem seu locum in choro, nec supra, nec inter canonicos, sed omnino extra chorum in loco decenti; Sac. Congr. Rit. in Signina 4 Junii 1615, referente Sellio dict. c. 26, num. 32.

(6. Gubernator civitatis debet habere sedem pro audienda concione apud Episcopum, quae tamen non sit major, nec pulchrior sede ipsius Episcopi, et neutra sit coloris rubri; Sac. Congr. Rit. in Perusina 3 Octobris 1615, cujus meminit Ald. in compend. Canon. resol. l. 1, t. 16, n. 59.

(7. Gubernatori praelato solita sedes cum strato in Ecclesia paranda est; Sac. Congr. Rit. in Fulginaten. 30 Januar. 1610, apud Aldan. d. tit. 16, num. 71.

(8. Gubernator civitatis, quae est caput provinciae, thurificandus est, et pacem habere debet ante vicarium episcopi, etiam absente episcopo; in aliis vero minoribus civitatibus post episcopum thurificari, et pacem habere debet, sed absente Episcopo ei praefertur vicarius; Sac. Congr. episcop. et Regular. sub die 30 Junii 1592, quam adducit Aldan. d. tit. 16, num. 62.

(9. Gubernator status, ubi viget consuetudo, thurificandus est ante barones, et curatos ecclesiarum; Sac. Congr. Rit. in Gotian. in Sardinia 5 Julii 1613, teste Aldan. d. tit. 16, num. 63.

(10. Gubernator protonotarius cum habitu praelatitio, id est rochetto, et mantelletta divinis assistens, thurificandus est ante canonicos immediate post episcopum; Sac.

stinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentae quoad hoc plenarie restituit. »

Congregatione. — 17 ad 88. Et ex Sacra Immunitatis Congregatione.

Cong. Rit. in Fanen. 5 Julii 1603, attestante Aldan. d. tit. 16, num. 61.

(11. Gubernator dignissimus, et perpetuus thurificandus est immediate post episcopum, et ante canonicos etiam paratos; Sac. Congr. Rit. in Alexandrina 15 Mart. 1607, in resp. ad 4, dub. penes Sell. d. c. 27, n. 34, et Barb. *Summa Apost. dec.* verb. *Gubernator*, n. 41.

(12. Gubernator civitatis etiam non praelatus, thurificandus est immediate post canonicos assistentes, ante alios canonicos; absente vero episcopo, immediate post vicarium generalem; Sac. Congr. Rit. in Faventina 9 Maii 1606, et in Fanen. 1 Septembris 1607, apud Sellium d. cap. 27, num. 35, etiamsi Gubernator sit uxoratus; ead. S. Congr. in Faventina 17 Novemb. 1607, cujus meminit idem Sellius d. cap. 27, num. 36.

(13. Gubernatores civitatum Sedis Apostolicae quando sunt referendarii, et praelati, et utuntur rochetto, post Episcopum, et assistentes, ante canonicos juxta consuetudinem thurificandi sunt; Sac. Congr. Rit. in Caesaten. 7 Decemb. 1601, quam refert Aldan. d. tit. 16, num. 65.

(14. Gubernator thurificari debet post dignitates et canonicos tam ecclesiae Cathedralis quam Collegiatae; Sac. Congr. Rit. in Complen. 28 Jan. 1612, quam citat Aldan. d. tit. 16, num. 66.

(15. Gubernator civitatis thurificandus est duplici, non triplici ductu thuribuli; Sac. Congr. Rit. in Civitatis Ducalis 11 Novemb. 1614, apud Sellium d. c. 27, n. 38.

(16. Gubernatores Capitulares electi a Capitulo, Sede vacante, non debent praecedere decano, et canonicis aliis ipsis dignioribus; Sac. Congr. Rit. in Elboren. 25 Januar. 1603, de qua Sellius d. cap. 27, n. 39. Licet ad ipsos tantum, et non ad decanum, et alios canonicos non electos pertineat decidere, et votare in his, quae pertinent ad curam ei commissam; ead. Sac. Congregat. in d. Elboren. 5 Julii 1603, penes Sellium d. cap. 27, num. 30.

(17. Gubernator, judex, et alii ministri non possunt prohibere executoribus Curiae laicae, quo minus exsequantur, monitoria, et mandata Curiae Eccles. etiam nulla ab eis petita licentia, seu assensu; Sac. Congr. Imm. in Macerat. 2 Septemb. 1664, lib. *Decret. Rocci*, p. 587, in Vercell. 30 Junii 1632, lib. 2 *Decr. Paul.*, pag. 131.

(18. Gubernator debet permittere episcopo liberum usum Birruariorum, et carcerum laicalium; ead. S. Cong. Immunit. in Civitatis Castellanae 19 Julii 1679, lib. 2 *Dec. Altoviti*, pag. 1800.

(19. Quare Gubernator carcerans Balivum Curiae laicae, eo quod ei praesentasset praecceptum Curiae episcopalis, excommunicatur; ead. Sac. Cong. Imm. in Sutrina 13 Jan. 1703, lib. 3 *Decret. Vallem.* pag. 468.

(20. Gubernator denegans claves carcerum communium Curiae ecclesiasticae, graviter reprehenditur; ead. Sac. Cong. Imm. in Civit. Castellanae 28 Februarii 1662 lib. *Decr. Rocci*, pag. 386.

(21. Gubernator pariter reprehenditur graviter, et acriter pro carceratione Birruarii Curiae episcopalis, et ipsi injungitur, ut sine mora eum relaxet cum refectione damnorum; ead. Sac. Congr. Imm. in Camerinen. 9 Mart. 1649, lib. 4 *Decr. Paul.* pag. 73.

(22. Gubernator non potest cogere colonos bonorum patrimonialium episcopi ad mittendum eorum animalia pro servitio, et reaptatione viarum, nisi habeat a Sancta Sede facultatem specialem; ead. Sac. Cong. Imm. in Macerat. 15 Decembr. 1654, lib. 3 *Decret. Paul.*, pag. 60.

(23. Nec potest prohibere notariis, et officialibus Curiae episcopalis, quin exercere possint officia publica Communitatis; eadem Sacra Congr. Imm. in Firmana 8 Aprilis 1631, lib. 2 *Decret. Paul.*, pag. 74.

(24. Gubernator declarat per suum Edictum circa damna data non esse cogendos Ecclesiasticos ad dandas querelas pro damnis datis in bonis ecclesiasticis in Curia Gubernatoris; ead. Sac. Cong. Imm. in Massana 2 Junii 1693, lib. 1 *Decret. Vallem.* pag. 50.

(25. Non potest, nec debet episcopus permittere clericum incedentem in habitu, et tonsura gerere vices Gubernatoris laici absentis; eadem Sac. Congreg. Imm. in Civitatis Plebis 24 Januarii 1651, lib. 4 *Decret. Paul.*, pag. 97.

(26. Gubernator contra eum, qui in fraudem reassumpsit habitum clericalem, potest prosequi causam quoad bona, non autem quoad personam; eadem Sac. Congr. Imm. in Reatina 12 Sept. 1629, lib. 2 *Decr. Paul.*, p. 6, in Nullius S. Laurentii in Campo 17 Decembris 1630, lib. 2 *Decr. Paul.* pag. 68.

(27. Injungitur Gubernatori, ut faciat suos Birruarios excommunicatos parere, alias illos removeat; ead. Sac. Cong. Imm. in Maceraten. 16 Junii 1651, lib. 4 *Decret. Paul.*, pag. 163.

(28. Facto verbo cum Sanctissimo, injungitur Gubernatori, ut non impediat, quatenus episcopus procedat ad poenas spirituales contra Birruarium, qui clericum offendit, etiamsi Gubernator praevenerit in captura; ead. Sac. Congreg. Imm. in Macerat. 20 Junii 1656, lib. 5 *Decr. Paul.*, p. 100.

(29. Gubernator non habet potestatem visitandi molendina Ecclesiasticorum, nec molestandi Molitores affictuarios eorumdem; eadem Sac. Cong. Imm. in Verulana 2 Octobris 1691, lib. *Decret. Grim.*, pag. 18. (30. Nec visitandi Furnos Ecclesiasticorum; vide verb. *Furnus*, num. 45.

(31. Gubernator tenetur declarare in suo Edicto, quo prohibetur indistincte, ne quis possit emere, et vendere frumenta absque

ejus licentia, non comprehendi Ecclesiasticos. Ead. Sac. Congreg. Imm. in Guardianen. 6 Augusti 1695, lib. 1 *Decr. Vallem.*, p. 208.

(32. Non potest impedire, seu punire Lavatos die festo de licentia episcopi. Ead. Sac. Congregat. Imm. in Civitatis Castellanae, 6 Februar. 1694, d. lib. pag. 102.

(33. Gubernatori, quamvis sit clericus conjugatus, datur facultas procedendi contra personas ecclesiasticas, et quomodocunque exemptas, nec non examinandi; easque in casu renitentiae cogendi cum solita praeservatione. Ead. Sac. Cong. Imm. in Perusina 2 Junii 1703, lib. 3 *Decret. Vallem.*, p. 492.

(34. Item, quamvis non sit Clericus, datur facultas procedendi contra Clericum. Eadem Sac. Congregat. Imm. in Amerina 24 Martii 1688, lib. *Decret. Martelli*, pag. 257.

(35. Jussu Sanctissimi aliquando episcopus consignat Gubernatori corpus delicti. Ead. Sac. Cong. Imm. in Aquipendii 11 Decembris 1694, lib. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 160, et alibi.

(36. Injungitur Gubernatori, qui mandaverat carcerari reum in loco immuni, ut ipse una cum aliis ministris suae Curiae omnino adeant episcopum pro absolutione a censuris incursis, et simul injungitur episcopo, ut benigne illos recipiat, et dictum Gubernatorem, et magistratum absolvat privatim, alios vero officiales inferiores publice in forma Ecclesiae consueta. Ead. Sac. Congregat. Imm. in Narnien. 4 Augusti 1627, lib. 1 *Decret. Paul.*, fol. 59.

(37. In casu occisionis mulieris cum foetu, Sanctissimus tribuit Gubernatori facultatem procedendi, et injungit Curiae Archiepiscopali Firmi, ut consignet carceratum eidem Gubernatori. Ead. Sac. Cong. Imm. in Asculana, seu Firmana 15 Maii 1694, lib. 1 *Decret. Vallem.* pag. 121.

(38. Ad tuendam publicam quietem a banitis et facinorosis datur Gubernatori Asculi facultas procedendi contra personas ecclesiasticas, tam saeculares quam regulares, et quovis alio titulo privilegatas, easque examinandi, et cogendi absque incursu irregularitatis; ead. Sac. Congr. Imm. in Asculana 20 Octobris 1694, lib. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 152. Etiam extra jurisdictionem. Ead. Sac. Cong. Imm. in ead. 1 Martii 1695, d. lib., pag. 175.

RECGENSENTUR ALIQUI GUBERNATORES EXCOMMUNICATI.

(39. Datur episcopo Narnien. facultas absolvendi privatim Gubernatorem, ejusque Cancellarium ob carcerationem cujusdam rei habilitati a Curia episcopali ad habendam Civitatem loco Carceris; impositis poenitentis salutaribus, ac de consensu patris; et quatenus haec sit absens a d. Civitate, recipiat idoneam cautionem de reficiendis damnis juxta summam liquidandam. Ead. Sac. Cong. Imm. in Narnien. 7 Nov. 1693, l. 1 *Decr. Vallem.*, pag. 85.

(40. In honorem Festi Paschalis absolvitur cum reincidentia Gubernator, et Ministri Curiae Laicalis, eo quia processerunt in qua-

dam causa clerici conjugati, et carcerarunt successive ejus consanguineos ob recursus ab ipso factos ad Curiam episcopalem, dummodo non existant in aliqua actuali læsione immunitatis Eccles. et se obligent de parendo mandatis Papæ. Ead. Sac. Cong. Immun. in Policastren. 30 Martii 1694, lib. 1 *Decr. Vallem.* pag. 114.

(41. Episcopus absolvat cum reincidentia Gubernatorem civitatis N. qui violenter posuit, ut dicitur, *un Banco* in Ecclesia, quatenus iudicet dignum tali gratia, et pro sua prudentia id expediens iudicaverit. Ead. Sac. Cong. Immun. in Iserniën. 30 Octob. d. anni, et lib., pag. 134.

(42. Gubernator, et Satellites, qui carcerarunt Balivum Curie episcopalis, absolvuntur in forma privata, et abolitis prius actis factis per Curiam laicalem, et relictis damnis ob d. carcerationem ipsi illatis. Ead. Sac. Cong. Immun. in Imolem. 10 Jan. 1690, lib. *Decret. Mar.* pag. 561. (43. Item absolvuntur Gubernator, et complices ob recognitionem corporis delicti factam in Ecclesia absque facultate Apostolica. Ead. Sac. Cong. Immun. in Nullius S. Marci 21 Nov. 1693, l. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 87. (44. Idem Gubernator, qui propria auctoritate extrahi fecerat ab Ecclesia cadaver ad effectum recognoscendi corpus delicti. Ead. Sac. Congreg. Immun. in Portuen. eadem die pag. 87.

(45. Idem Gubernator Atini, Ministri, et executores Curie laicalis ob carcerationem, et læsionem clericorum. Ead. Sac. Cong. Immun. in Atini 17 April. 1694, d. lib., pag. 119. (46. Insuper ob carcerationem cursoris Curie episcopalis. Ead. Sac. Cong. Immun. ibidem. (47. Præterea sustinentur contra dictum Gubernatorem, eo quod vulneravit cursorem dict. Curie. Ead. Sac. Cong. Immun. ibid. (48. Rursus idem Gubernator absolvitur impositis gravibus pœnitentiis salutaribus, quia carceraverat duos clericos Salvaticos. Ead. Sac. Cong. Immun. in ead. 9 Junii 1695, d. lib., pag. 200.

(49. Contra Gubernatorem Minerbinen. episcopus procedat ad aggravationem censurarum super earum contemptu, et procedat etiam juridice super edicto læsivo libertatis ecclesiasticæ, ex eo quia prohibebat sæcularibus emere, et recipere panem franchitiarum ecclesiasticis debitarum. Ead. Sacra Congregat. Immunit. in Minerbinen. 6 Novembris 1694, lib. 1 *decret. Vallem.* pag. 153.

(50. Et iungitur Nuncio Apostolico, ut instet apud d. Proregem, ut condigne puniat Gubernatorem pro publicatione præfati edicti. Ead. Sac. Congregat. Immunit. ibid. (51. Rursus contra præfatum Gubernatorem denuo proceditur ad aggravatorias ob spreum censurarum. Ead. Sac. Cong. Immun. in ead. 8 Decem. d. anni, et lib., pag. 160.

(52. Prævia consignatione carceratorum in manibus Curie ecclesiasticæ, præstita cautione de in omnibus parendo mandatis Ecclesie, datur facultas absolvendi d. Gubernatorem cum reincidentia post mensem, quatenus se gesserit cum debito respectu erga censuras, saltem ab initio Quadragesi-

mæ. Ead. Sac. Cong. Immun. in ead. 26 Martii 1691, d. lib. pag. 179.

(53. Denuo iungitur episcopo, ut procedat prout de jure contra Gubernatorem d. civitatis, et alios pro edictis læsivis ecclesiasticæ libertatis, et ut supra num. 12 pro extractione a loco immuni, in reliquis ad ulteriora procedat super spreto censurarum. Ead. Sac. Cong. Immun. in ead. 19 Aprilis d. anni, et lib. p. 183.

(54. Insuper quia carceraverat duos Clericos Salvaticos, datur facultas eundem absolvendi, constituto de reintegratione Ecclesie, et prævia obligatione de non incurrendo amplius in similia, et impositis gravibus pœnitentiis salutaribus. Ead. Sacra Cong. Immun. in ead. d. anni, et lib., pag. 200.

(55. Gubernatorem Carinolen. ejusque Ministros prævio deposito penes personam eccl. summæ exactæ a custode animalium clericum, carcerati, eo quia clericus non obediens edicto edito circa animalia, episcopus absolvat cum reincidentia, quatenus humiliter petat. Ead. Sac. Cong. Immun. in Carinolen. 19 Jul. 1695, lib. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 203. (56. Insuper contra eundem procedat super spreto Censurarum. Ead. S. Cong. Immun. in ead. 6 Aug. d. anni, et lib., pag. 207.

(57. Constito de reparatione Ecclesie violatæ ob extractionem confugiti in eandem, arbitrio episcopi absolvitur private Gubernator, alii vero in forma consueta, prævio tamen consensu omnino interesse habentium, qui sunt in Diocesi, et prævia cautione de reficiendis damnis, et parendo mandatis Ecclesie. Ead. Sacra Congregat. Immun. in Theanen. 4 Junii 1695, d. lib., pag. 193.

(58. Sic Gubernator Avellinen. absolvitur private, ejus autem minister publice ob carcerationem clericum. Ead. Sac. Cong. Immun. in Avellinen. 8 Maii 1694, d. lib., pag. 21.

(59. Gubernator Verulanus, seu ejus Curia excommunicatur, quia visitavit Molendina Ecclesiasticorum, et carceravit molitores affectuarios eorumdem. Ead. Sac. Cong. Immun. in Verulana 2 Octobr. 1691, lib. *Decret., Grim.*, p. 18, in Vigilien. 12 Nov. 1704, lib. 3 *Decret. Vallem.*, pag. 627.

(60. Gubernator Castri Turris absolvitur, dummodo revocet præceptum factum officialibus Confraternitatis de non egrediendo a d. loco, nisi soluta dote quibusdam mulieribus debita ab ipsa Confraternitate; et revocet omnia alia læsiva libertatis ecclesiasticæ. Ead. Sac. Congreg. Immun. in Alatrina 13 Decemb. 1692, l. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 10.

(61. Proceditur contra Gubernatorem retinentem fructus cujusdam Beneficii. Ead. Sacra Congreg. Immun. in Aquilana 1 Januar. 1695, d. lib. pag. 165.

(62. Attenta reintegratione Ecclesie, et prævio consensu Partis, ac juramento de non incurrendo amplius in similia, absolvitur Gubernator cum suis ministris ob carcerationem clericum, et sequestrationem rerum ejusdem. Ead. Sac. Congreg. Immun.

in Materanen. 12 Nov. 1695, lib. 1 *Decr. Vall.*, pag. 227.

(63. Item constituto de reintegratione, et cum suprascriptis conditionibus absolvitur Gubernator private, sed servata forma, alii vero in forma consueta, qui carceraverant custodes animalium clericum. Ead. Sac. Cong. Immun. in Carinolen. 17 Decemb. d. anni, et lib., pag. 235.

(64. Gubernator, ejusque ministri absolvuntur cum reincidentia, prævia cautione de parendo mandatis Ecclesie, et quatenus humiliter, et personaliter petant. Ead. Sac. Congregat. Immun. in S. Severinæ 17 Decembris d. anni, et lib., pag. 236.

(65. Attenta abolitione actorum, et prævia obligatione de abstinendo a similibus, absolvitur Gubernator, qui processum formaverat contra Sacerdotem; Sac. Cong. Immun. in Asculana 31 Augusti 1700, lib. 2 *Decret. Vallem.*, pag. 311.

(66. Præmissis consuetis conditionibus, et facta obligatione de servando in posterum debitum respectum Immunitati, et jurisdictioni Ecclesiasticæ, absolvitur Gubernator cum suis ministris ob carcerationem clericum. Ead. Sacra Congreg. Immun. in Nepesina 18 Septembris d. anni, et lib., pag. 314.

(67. Gubernator Frosinonis absolvi potest a confessario; ejus autem ministri absolvuntur ab episcopo private ob carcerationem detentorum in carceribus laicis vigore mandati Curie episcopalis. Ead. Sac. Cong. Immun. in Verulana 3 Augusti 1695, lib. 1 *Decr. Vallem.*, pag. 138.

(68. Locumtenens Frosinonis, eo quod testem examinatum in Curia ecclesiastica super loci immunitate carceraverat, jubetur accedere ad Urbem. Ead. Sac. Cong. Immun. in Verulana 14 Januar. 1698, lib. 2 *Decret. Vallem.*, pag. 133.

(69. Locumtenens positus solitis conditionibus absolvitur in forma Ecclesie consueta ob perquisitiones in ecclesia factas. Ead. Sac. Cong. Immun. in Hydruntina 9 Februarii 1694, lib. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 105.

(70. Imposita aliqui eleemosyna arbitrio episcopi absolvitur Locumtenens Oppidi N. qui extraxerat ab Ecclesia homicidam, præcise ad vitandum tumultum populi acriter concitatum. Ead. Sac. Cong. Immun. in Aquen. 26 Septemb. 1694, lib. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 148.

(71. Gubernator Placentiæ in Hispania aliorum auxilio confugam violenter ab ecclesia extraxit, ac per civitatem publice fustigatum in ecclesiam reposuit, Constito autem idem Gubernator, et alii abstinuerint ab exercitio quorumcumque munerum, et se gesserint in omnibus tanquam censurati per mensem, et prævia satisfactione partis, et quatenus oratores humiliter petant, datur episcopo facultas absolvendi Gubernatorem in sacello episcopali in forma ecclesie, alios vero in ecclesia, servata forma pariter, soluta prius tamen per Gubernatorem eleemosyna in summa duplarum 100, et per alios omnes in summa duplarum viginti quinque, eroganda in aliquo patenti

opere in reparationem injuriæ Ecclesie illatæ, arbitrio episcopi. Ead. Sac. Cong. Immun. in Placentina Hisp. 18 Augusti 1699, lib. 2 *Decr. Vallem.*, pag. 240.

(72. Gubernator, Magistratus, et alii censurati ob violentias Ecclesie illatas in violenta collocazione scamni, prævia remotione ejusdem scamni, absolvuntur arbitrio Episcopi etiam in forma privata, si humiliter petant. Ead. Sac. Cong. Immun. in Iserniën. 1 Martii 1695, lib. 1 *Decret. Vallem.*, pag. 174.

(73. Gubernatori Urbis nulla competit jurisdictionis in civilibus contra clericos, et loca pia. Benedict. XIV. tom. I. Constitut. 115. incip. *Romanæ Curie* § 23. (74. Exceptis causis mercedis, et summæ infra secuta 25, etiamsi adsit obligatio cameræ. Idem ib. § 24.

(75. Gubernatore civitatis, aut loci ditionis ecclesiasticæ decedente, non licet magistratibus, sive consiliis subrogare Pro-Gubernatorem. Idem Constitut. 117 incip. *Ad populorum* § 1. (76. Non obstante quacunque consuetudine, aut quasi possessione. (77. Nisi doceant de expresso privilegio a Sede Apostolica sibi concessio. Idem ib. § 7 et 8.

(78. Gubernatoribus prælatis civitatum ditionis ecclesiasticæ decedentibus, subrogantur ipso facto eorum locumtenentes cum facultatibus et emolumentis. Idem ib. § 1.

(79. Gubernatoribus non prælatis substituantur similiter procuratores fiscales. (80. Idem ibid. § 2 et 3. Gubernatoribus a præfectis sive aliis Gubernatoribus dependentibus subrogari jubetur aliquis Pro-Gubernator. Item ibid. § 4. (81. In Legationibus Romanolæ et Ferrariæ hujusmodi subrogatio pertinet ad cardinales legatos, sive præsides provinciarum. (82. In Legationibus autem Bononiæ, et Urbini spectat ad eos, ad quos pertinet deputatio Gubernatorum. Idem ib. § 5, 6.

(83. Gubernatoris Urbis Tribunal certo judicium, et notariorum numero constare debet, quibus omnibus certa emolumenta assignantur a Bened. XIV. t. 2, Const. 44, incip. *Rerum humanarum*. (84. Iisdem certa summa annua attribuitur pro expensis commissionum, ex qua si quid reliquum fuerit in fine anni, inter omnes æqualiter dividendum erit. Idem ibid. (85. Gubernatori Urbis prohibetur ullum Judicem, Notarium, aut substitutum admittere supra numerum a Pontifice statutum. Idem ibid. (86. Gubernator Urbis cibaria taxare debet pro iudicibus, et commissariis ad commissiones prodeuntibus; et idem annua scuta centum loco præmii partiri potest inter eos, qui digniores se præstiterint. (87. Idem ibid. Gubernatori Urbis S. R. E. vice-camerario concessum est Rochettum per Urbem deferre, et Lemniscos nigros equorum capiti appensos habere. Idem in *Appendice* num. 5, pag. 30.

(88. Gubernatorum per ditionem ecclesiasticam constitutorum controversiæ cæremoniales cum episcopis definiuntur, et assignantur certæ cæremoniales Leges, quas

erga Episcopos servare jubentur. Idem tom. 1, Constit. 18, incip. *Quod Apostolus*, et tom. 2, in *Appendice* n. 2. pag. 11 et sequent.

GUIDACIUM, SEU PEDACIUM.

Vide verbo GABELLA, n. 9

GULA.

SUMMARIUM.

1. Gula quid sit. — 2. Quinque sunt modi, quibus peccatum Gulæ solet committi, et assignantur. — 3. Præpropere, quando quis dicitur peccare peccato Gulæ. — 4. Laute, quando peccatur. — 5. Nimis, quando peccatur. — 6. Ardenter, quando peccatur. — 7. Studiose, quando peccatur. — 8. Gula, comessatio, potatio ordinarie per se est solum peccatum veniale. — 9. Per accidens tamen potest evadere peccatum mortale multipliciter. — 10. Illicitum est comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem. — 11. Satietas potest duo significare, et quomodo. — 12. Ebrietas quid sit. — 13. Ebrietas formalis, et voluntaria est peccatum mortale. — 14. Probabilis licitum est se inebriare ex præscripto medici ad recuperandam sanitatem, si desit aliud remedium. — 15. Varii alii contrarium sentiunt. — 16. Sic probabilis licitum est se inebriare ad vitandam mortem ab alio intentatam, dummodo absit scandalum, neque cedat in contemptum Religionis, et virtutis. — 17. Multi alii contrarium sentiunt. — 18. Alterum inducere, seu provocare ad illicitam ebrietatem semper est peccatum ex genere suo mortale. — 19. Sic peccant caupones, si inebriandos, plura vendendi ac lucrandi prætextu, ad potum continuandum provocant. — 20. Imo mortaliter peccant caupones, qui potum ministrant his, quos inde prævident inebriandos, si ex denegatione non timeantur gravia incommoda. — 21. Judex, qui inebriat reum, ut sic inducat ad fatendum erimen, dupliciter peccat. — 22. Si quis reum ad mortem

(1. Gula est inordinatus, seu immoderatus appetitus, ususque cibi ac potus. *Est in re communis.* (2. Quinque sunt species: seu modi, quibus peccatum Gulæ solet committi; Sic S. Gregorius l. 3. *Moral.*, cap. 17, ibi: « Quinque modis Gulæ vitium tentat, aliquando namque indigentia tempora prævenit, aliquando lautiores cibos quærit, aliquando quæ sumenda sunt accuratius præparari appetit, aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram necessitatis excedit, aliquando in ipso æstu immensi desiderii peccat. » S. Gregorium sequitur D. Thomas 2. 2. 9. 184, art. 4, et communis aliorum, et prædicti quinque modi comprehenduntur in hoc versu a S. Thom. l. c. adducto:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

(3. *Præpropere* quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando tempora indigentia prævenit. Unde si in die jejunii notabiliter præveniat tempus ordinarium refectiois sine necessitate, peccat mortaliter, si autem aliis diebus, vel nimis mane, vel ante orationem, vel sæpius, quam deceat, comedat, et bibat, peccat solum venialiter. Hic juvat adducere duos sequentes veteres versus:

Qui semel est, Deus est; homo, qui bis; bestia, qui ter; Qui quater, dæmon, qui quinques est sua Mater.

(4. *Laute* quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando nimia sollicitudine quærit cibos

ubi ad longum adducuntur, et ibi brevitatis gratia videndæ relinquuntur.

damnatum et rite dispositum inebriaret eo fine, ut cruciatus, et mortem non sentiret, peccaret graviter. — 23. Injuste detentus in carcere non peccat inducendo custodes ad materialem ebrietatem. — 24. Peccat tamen, si inducat ad ebrietatem formalem, etiamsi adesset periculum mortis. — 25. Si autem juste detinetur in carcere, peccat, licet ad materialem tantum ebrietatem inducat. — 26. Si grave malum non possit aliter impediri, nisi auctor inebrietur, licet eum inducere ad ebrietatem materialem. — 27. An hoc casu liceat eum inducere ad ebrietatem formalem ipsi voluntariam, et culpabilem? variant doctores. — 28. Qui ebrietate scit se solere percutere uxorem, filios, aliosque domesticos, aut damna inferre aliis, peccat etiam contra pietatem, aut justitiam, si se inebriet, et tenetur ad damna causata. — 29. Bibere in sanitatem aliorum potest esse licitum, si reipsa nihil aliud contineat, quam sanitatis appreciationem. — 30. Si autem per talem potum intenderet, et vellet quis inducere Deum ad sanitatem alteri dandam, esset peccatum superstitionis. — 31. Suadetur principibus, ne permittant hujusmodi vinaria vota pro salute fieri. — 32. Gulæ filia sunt quinque, scilicet: hebetudo mentis, inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia. — 33. Quid intelligatur per hebetudinem mentis, et quale sit peccatum. — 34. Quid intelligatur per ineptam lætitiā, et quale sit peccatum. — 35. Quid intelligatur per multiloquium, et quale sit peccatum. — 36. Quid intelligatur per scurrilitatem, et quale sit peccatum. — 37. Quid intelligatur per immunditiam, et quale sit peccatum.

pretiosos, delicatos, aut particulares, et similiter pretiosiora, et delicatiora vina ex sola Gulæ aviditate. Si autem propter infirmi consolationem, principis, amicorum, seu conjunctorum adventum, convivii occurrentiam, vel ordinariam sese lautius certis diebus recreandi consuetudinem quærantur cibi pretiosiores, delicatiora, et rariores, nullum ordinarie committitur peccatum. Unde S. Augustinus, l. 3, *de Doctrina Christiana*, cap. 12, sic ad rem dicit: « In omnibus talibus, non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupiditatis, vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur; insipiens autem fœdissima Gulæ flamma in vilissimum ardeat. » Idem ait S. Gregorius l. 28 *Moral.*, cap. 14: « Neque enim cibus, inquit, sed appetitus in vitio est, unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus; et abjectiones non sine reatu conscientia degustamus. »

(5. *Nimis* quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando nimiam et immoderatam cibi et potus quantitatem absorbet; quia tamen difficile est limites debitæ comestionis et potationis non excedere, cum venter sit exactor inquietus, nisi temperantiæ frenum ei injiciatur; unde S. Gregorius l. 30 *Moral.*, c. 14, dicit: « Quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, et quid voluptas suppetat, ignoratur. » Ideo de-

bet unusquisque complexionem suam consulere, et inde sibi regulas præscribere, semper in mente retinens id quod dicit Card. Bona in *Manud. ad cælum* c. 4, § 1, scilicet quod pauci sunt infirmi, quos Gula ad ægritudinem non adegerit, et ibidem § 1, in fine, quod *Gula multo plures occidit quam gladius*. Unde recte poeta, prout refert Ursaya in *Miscellaneo sacro et profano*, verb. *Gula*:

Gulæ pone metas, ut sit tibi longior ætas.

(6. *Ardenter* quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando cibum, et potum nimis avidè sumit, quod contingere potest etiam in cibis, et potionibus vilioribus, ut patet experientia in Esau, qui nimis avidus lenticulæ fratris sui Jacob pro ea primogenita sua stulte commutavit. Unde S. Augustinus, l. x *Confess.*, c. 31, ait: « Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis... Scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptum. »

(7. *Studiosè* quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando nimis accuratam, et exquisitam in ciborum condimentis præparationem exquirat: Unde Hugo, *de Disciplina* c. ult., dicit: « Quidam sunt, qui præparandis cibis nimium studium adhibent, infinita decoctionum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo calida, modo cocta, modo assa desiderant, et tanta sollicitudine præparantur, ut devoratis jam quatuor, aut quinque ferculis prima non impediatur novissima, semper novos sapes desiderant instar feminarum prægnantium.... ad irritandam autem Gulam hæc fiunt, non ad sustentandam naturam; ad aviditatem explendam, non ad necessitatem supplendam. »

(8. Gula, comessatio, potatio ordinarie per se est solum peccatum veniale, quia nimirum excessus non enormis in re alias indifferenti, vel licita, non nisi venialis culpa est. Sic S. Augustinus serm. 4, in die Animarum l. 10, ubi ait: « Quoties aliquis in cibo, aut potu plus accipit quam necesse sit, ad minuta peccata pertinere noverit, » et S. Thomas, 2. 2, quæst. 148, art. 2, sic dicit: « Si vero in vitio Gulæ intelligatur inordinatio concupiscentiæ tantum secundum ea quæ sunt ad finem, utpote quia nimis concupiscit delectationes ciborum... est peccatum veniale. »

(9. Per accidens tamen potest evadere peccatum mortale multipliciter. I. Ratione enormis excessus, et deformitatis contra virtutem temperantiæ qua homo statum naturæ rationalis enormiter et horrendè deturbat,

(12*) Damnata ab Innocentio XI propositio eo videtur exposita consilio ab Auctore nostro, ut licitum esse velit intendere delectationem, quæ capitur ex cibo et potu moderato; quemadmodum a Sanchezio, Escobario, Moya, aliisque benignioribus theologis propugnatur. Cum solam cibi vel potus quantitatem respicere propositionem illam contendat, facile est intelligere Ferrarium nostrum opinari improbatam a Summo Pontifice non esse delectationem, quam pro fine habeat ultimo comedens, et bibens ad satietatem. Sed quis æquo animo ferat hanc interpretationem? Voluptas sane, et sapor cibi et potus peccatum non est, quia non solum cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis, inquit August. lib. IV, *contra Julian.*, cap. 14, sed qui man-

FERRAR. IV.

maxime qui scienter et ordinarie se insercit, et ingurgilat usque ad vomitum, et qui ex proposito comessat, et potat in excessu, ut vomat; talis enim Gula, comessatio, et potatio ad Roman. XIII, Galat. V, I. Petr. IV, et in Epistola Judæ, 12, inter peccata mortalia enumeratur. II. Ratione scandali: dicit enim Apostolus I ad Cor. VIII: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. III. Ratione gravis nocuenti corporis, ut qui ex nimia comessatione et potatione prævidet aut prævidere debet contracturum se morbum notabilem, ut enim dicitur Ecclesiastic. XXXVII: *Propter crapulam multi perierunt*. IV. Ratione gravis nocuenti animæ, et cum quis advertit ex nimia ingurgitatione sibi causari graves motus libidinosos, quibus ordinarie consentire solet. V. Ratione impotentia servandi præcepta graviter obligantia, ut solvendi debita, alendi familiam, studendi in judice, aut advocato, ubi res urget et hujusmodi. VI. Ratione ultimi finis positi in cultu ventris, ut faciebant olim Epicurei, de quibus Apostolus ad Philippens. III. dicit: *Quorum Deus venter est; et ad Roman. XVI: Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri*.

(10. Illicitum est comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem. Innocentius enim XI, die 2 Maii 1679, expresse damnavit sequentem propositionem inter alias ordine 8: « Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. » (11. Hic ad damnatæ propositionis (12*) intelligentiam est advertendum, quod satietas potest duo significare, vel comestionem et potationem talem, qua satisfit fami et siti; vel talem, quæ fiat in majori quantitate quam requirit sustentatio. Si sumatur primo modo, comedere et bibere usque ad satietatem, nullum est peccatum; si secundo modo, est peccatum. Sic ex Augustino tom. X, serm. 4, in die Animarum; ex S. Gregorio lib. XXX *Moral.*, c. 17; ex S. Isidoro relato, et secuto a S. Thoma, 2-2, q. 148, art. 4, probat Cardenas in 2 Crisi dissert. 7, n. 26. Sanctus enim Augustinus l. c. sic ait: « Quoties aliquis in cibo, et potu plus accipit quam necesse est, ad minuta peccata pertinere noverit. » S. Gregorius loc. cit. ait, committi peccatum Gulæ, cum quis in ipsa quantitate sumendi mensu-

ducat et bibunt ob solam voluptatem semper peccant, saltem venialiter; nam inordinatus tunc est eorum appetitus quo fruuntur utendis, ideoque peccatum Gulæ, juxta traditam definitionem. Audiat S. Thom., 2-2, quæst. 189, art. 2: « Homines, inquit, Gulæ dediti, ventri suo, tanquam ultimo fini famulantur; » ut Rom. XVI ait Apostolus: *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed ventri*. Item ad Philippens. III: *Quorum Deus venter est. Si vero in vitio Gulæ*, subdit idem doctor, intelligatur inordinatio concupiscentiæ, secundum ea quæ sunt ad finem, utpote quia nimis concupiscit delectationem ciborum, non tamen ita quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale. » (NOTA ROMANI THEOLOGGI.)